



Antiquae Lectionis Tomus ...

In Qvo Plvra Qvam XX. Antiqua monumenta, nunquam edita

Canisius, Heinrich

Ingolstadii, 1602

XXVII. Qvomodo A Clodona Colobregam intrauerit.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64160](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64160)

QUOMODO A CLODONA
Colobregam intrauerit.

XXVII.



INDE COLOBREGAM peruenerunt, quæ super litus maris sita est. Sed quia ciues illius pæne omnes more institorum ad exterâs insulas causanegotiandi nauigauerant, illi, qui domi reperti sunt, absentibus suis conciuibus, nihil se noui aggressuros dicebant. Hacq; sub occasione aliquandiu restiterunt euangelio. Tandem exhortationibus crebris ab Episcopo superati sunt. Confirmatis ergo eisdem in fide sanctæ Trinitatis & Baptismo renatis & fundato altari & sanctuario, cæterisq; quæ nascenti Ecclesiæ utilia credebantur ordine peractis, dici vnus itinere distantem à COLOBREGA BELGRADIAM petens, simili operum effectu illic lætificatus est, omnibus se domino sponte applicantibus. Quod ubi factum erat, visum est ei bonum esse commissis quatuor quæ supererant ciuitatibus cum pagis viculis & insulis suos, VNXNOIMIA videlicet, HOLOGOSTA, GOZANGIA, EIMINA, quia tempus eum reuocabat, hyems quippe erat, id quod plantauerat interim irrigare, ne forte dilatando tantum agrum suum, & non etiam excolendo, in vacuum curreret, aut cucurrisset; quin etiam si vltius procederet, ante diem palmarum sicut disposuerat, redire ad suam sedem consecraturus crisma minimè potuisset.

QUOMODO DE TINERE ILLUM
ac Episcopum habere voluerint.

XXVIII.



DISCRETVS ergo pontifex apud BELGRADIAM terminum ponens Euangelij, omnia loca & ciuitates superius nominatas, in quibus semina fidei